Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26210
Copyright: Admont, Benediktinerstift

27

alios predicando. De quibus bene scriptum est. quia apparuerunt illis
dispertite lingue tamquam ignis. seditque supra singulos illorum. et
repleti sunt omnes spiritu sancto. Recte autem de lingua indisciplinata
dicitur: quod ipsa sit universitas iniquitatis. quia cuncta fere
facinora peccata aut committuntur ut latrocinia. stupra. aut patrant
ut periuria. falsa testimonia. aut defenduntur. ut cum quilibet
impurus excusando scelus quod admisit. simulat ostentan
do bonum quod non fecit. Et inflammat rotam nativitatis nostre. flam
mata a gehenna. A gehenna dicit a diabolo et angelis eius prop
ter quos gehenna facta est. et qui ubicumque in aere volitant. vel
in terris ac subterris vagantur sive detinentur. suarum semper
secum ferunt tormenta flammarum instar febricitantis. qui
et si in lectis eburneis. si in locis ponatur apricis. fervoris
tamen vel frigoris insiti sibi languorem evitare non potest. sic ergo de
mones et si in templis colantur auratis. et si per aera discur
runt. igni semper ardent gehennali. et ex ipsa sua pena com
moniti. deceptis quoque hominibus fomitem viciorum. unde et ip
si perierunt. invidendo suggerunt. Cui contra sancta dei civitas no
va Iherusalem de celo a deo descendere dicitur: quia nimirum quicquid
celeste in terris agimus hoc profecto ut ageremus celesti mune
re accepimus. Rotam autem dicit nativitatis nostre incessabilem
vite temporalis percursum. quo a die nativitatis usque ad mor
tem velut semper currente rota curruli incessanter agimur.
Unde bene Salemon cum diceret memento creatoris tui in di
ebus iuventutis tue ante quam veniat tempus afflictio
nis tue. paulo post addidit. et confringatur rota super cister
nam. et revertatur pulvis in terram suam un . . de erat.